



*Ein Buch von den
...
...
...*



00

G. 9. 234.

HISTORIA
RERVM A POLO
NIÆ REGE IN MO
scouia superiori anno fortiter
& feliciter gestarum.



I T E M


Ex litteris Constantinopoli hoc anno 1581.
die 14. Ianuarij datis, descri-
ptæ Narrationes

DE BELLO PERSICO,
*quod à Turcis in Media geritur,
& de Armeniis & aliis rebus,
cognitu non inutiles nec
iniucunda.*



Anno M. D. LXXXI.


HISTORIA
RERVAM A POLO
NIAE REGE IN MO
scoria subtergiti anno fortiter
& feliciter gestatum



M. T. A. M.

Ex huius Constantiopolitani hoc anno 1587
die 14. Januarii datus & editus
per N. N. N.

DE BELLO PER SICO
quod a Turcis in Sicilia gestum
Et de Avinionis & eius vicinis
cognitis non tantis nec
mirabilibus



Anno M. D. LXXVI

BREVIS NARRATIO RE-
rum à Regia M. Polonia, contra Moscum,
Iulio, Augusto, Septembri & Octo-
bri mensibus bello gestarum,
Anno 1580.

REX procurato commeatu, tormentisque ac
omni grauiore instrumento belli nauibus
præmissis, etsi nondum ex remotioribus re-
gni oris copiæ conuenissent, tamen fama
sue profectiois celerius subsequatur ratus,
16. Kal. Iul. Vilna profectus, vno milia-
ri inde confedit. Hinc ita instituta ratione itineris, vt len-
tius euntem vndique consequi, cum equitatus, tum peditatus
posset. 6. Cal. Aug. Vitepscium peruenit. Abest id oppidum
Vilna octoginta miliaribus, natura loci, duabusque arcibus,
& præterfluente Duna, nauigabili fluuio munitissimum.
Iam antea Crasnici Rex inito copiarum numero, refert ad
consilium, quas in oras exercitus ducendus sit, & quibus in
partibus hostilis terræ bellum ordiendum. Tres per amplæ
ac famosissimæ ciuitates proponebantur, Smolenscum, Plesco-
uia & Velikilucum: quarum hæc ad Louatum fluuium,
Plescouia ad Nemum è Liuonia labentem, Smolenscum ad
Boristenem sita est. Sed cum iter ad Smolenscum esset per
loca deserta, terramque à nostris etiam per crebras excursiones,
igne ferroque vastatam, videbat si eò se conuertisset, exer-
citus commeatus, & rei frumentariæ inopia laboraturum,
& hosti ad inuadendos Lituanie fines aditum patefactum iri.
Neque verò si Smolenscum peteret, ab Liuonia auertendi ho-
stem vlla ratio videbatur, quæ tamen magna suscepti belli
causa erat: neque sperari poterat Moscum propter urbem lon-
gè à suo regno ad Boristenem positam, vires suas in vltimum
discrimen

discrimen adducturum. Plescouia vero oppugnanda hoc tempore difficilior ratio visa est, quod expeditio à finibus regis longinquior, quod iter ob crebriores hostium arces periculosius, longior receptus, nullum in propinquo praesidium nostrum, flumen deniq; eo itinere nullum esset, quo res frumentaria, & bellica machinae supportarentur. Ergo Velikilucum petendum esse statuit, quo etsi iter esset per regiones sylvestres, tamen cum & à populationibus intacta omnia essent, fluminibusque Duna & Vsuiata, tormenta & commeatus oportune conuehi possent; minor videbatur in ducendo exercitu difficultas futura. Adhuc Velikulucum ita Liunia imminet, ut si eam urbem Rex suae ditionis faceret, & commeatu è Liunia adiuuari posse, & intercludere è Moscouia in Lioniam iter, & magnam denique regionem liberare videretur. Deniq; animo Regis obuersabatur illud etiam accidere posse, ut si spe pacis amissa eam urbem peti Moscus videret, quae & suae ditionis semper fuisset, & quoquoersus firmissimum praesidium esset, ad opem suis ferendam veniret, sicq; daretur aliqua occasio aperto Marte decernendi: cuius sanè rei auidissimus Rex erat. His accedebat, quod omnis circa Velikilucum regio, agri fertilitate, rerumque omnium ubertate, omnibus aliis partibus abundantior, hominibus, iumentisq; alendis facilius commeatum suppeditare posset. Ad Plescouiam enim usque terra ubiq; culta, campestris, & frequentibus vicis habitata, si in potestatem Regis redigeretur, magnam commoditatem, relictis in praesidio militibus praebitura esset. Ituro Velikilucum duae arces cum firmo Moscorum praesidio munitae occurrebant, Velisa in citeriore ripa fluminis Duna, & Vsuiata inter duos lacus sita, quorum alter in occidentem vergens Vsmiana, alter ad orientem pertinens Vsuiata vocatur, per quem fluuius eiusdem nominis se deriuans propè Surasum castellum Duna se miscet. Has arces, ne quid à tergo infesti relinqueretur, partitis copiis expugnare decreuit. Igitur
Ioanne

Ioanne Zamoiscio regni Cancellario cum septem millibus ad expugnandam Velisam præmisso, ipse quartis castris ad castellum Surasum peruenit. Hic duabus maximè de causis quadriduum substitit: primùm, ut Dunam fluium ad traiciendum exercitum pontibus iungeret: deinde ut expectato euentu Velisæ, quæ octo milliaria Suraso aberat, de rebus à Cancellario gestis certior fieret. Sed is ut primum per aspera itinera copiis Velisam è densissimis siluis penetravit, loci situm contemplatus, tribus ex partibus circumducta fossa, iactoque aggere munitiones in arcem summa celeritate direxit. Ex aduerso autem arcis ultra Dunam, leuioris aliquot armaturæ cohortes, arcendis subsidiis & effugiis collocatæ erant. Igitur admotis tormentis cum undique verberari propugnacula, miraq; nostrorum audacia inferri moenibus faces Velisenses conspiciantur, incolunitatem pacti deditioem faciunt. Quare cognita, Rex, dum pontes ex lintribas contabulatis edificantur, ad visendam Velisam cum familiaribus, excurrit.

Capta Velisa literæ à Mosco missæ redduntur, quibus humiliter & demissè, quod pleriq; calliditati adscribebant, significabat, iam se legatos, contra & suam, & maiorum suorum consuetudinem ad eum dimisisse, cum iis mandatis, quæ postulata ab ipso paci consentanea essent. Sed cum incertus esset, quid ab ipso Rex postularet, vereri ne non sit iis, quæ legati ipsius nomine pollicerentur, contentus futurus. petere igitur, ut aut Rex quàm ocysimè sua postulata per literas significaret, aut legatis suis id facere permitteret. Deinde, antequam legatos audiret, suis finibus contineret exercitum, nec pateretur in regiones ipsius excursiones facere. Postremò, ne esset cupidus fundendi sanguinis Christiani, neuè ab oblata concordia studiis abhorreret, memor saluberrimæ illius admonitionis, ubi diuinus Vates, nunc inquit, Reges sapite, erudimini, qui iudicatis terram: nam extremam secundi Psalmi partem literis suis inseruerat. Rex cognitis his literis nihilo remissius exequi de-

Finata pergit, perfectusq; tribus in Duna pontibus, vniuersum exercitum in vltiorem ripam traducit, ibique castra facit. Postridie iter facienti iterum Mosci literæ afferuntur, quibus significat, legatos ipsius maximis itineribus progredi, expectaret venientes, nec tridui moram expectatione consumptam magno detrimento rebus suis fore putaret. Regem nihil de celeritate consueta remittere cupientem, retardabat difficultas viarum. Syluestria erant loca, vix singulis peruia implicatis inter se arborum ramis, veluti perpetuam obijcientibus sepem. Adhæc ob crebras paludes obiectas, cœnosamq; humi, equorum, hominumque vestigiis cedentem, agrè moliebantur transitum copie Lituanicæ, vociferantibus in exercitu regio militibus, quod lentè procedentes, tardeque viam sternentes Lituani, consumpto omni pabulo, nihil præter nudum solum sequentibus ipsis relinquerent. Igitur Rex delectos è Prætorianopeditatu trecentos Vngaros, ad parandam celerius cum Lituanis viam præmittit. Sic Lituani duce Palatino Vilnense 18. Kalen. Septemb. tandem ad arcem Vsuatam peruenerunt. Rex ipse duobus inde miliaribus confedit. Vsuata arx in tumulo est sita ad duos lacus, vt iam antè ostensum est. Mosci obsidionem expectantes, paucis ante diebus oppidum arci subiectum incenderant, recepta in arcem omni oppidanorum turba. Palatinus arcem oppugnare orsurus, caduceatore præmissa ad deditonem ipsos hortatur, simul etiam eis denunciat in vna Regis clementia eis salutem fore. Illi cum ferociter initio respondissent, ac tandem circumduci fossam, admoueriq; vimineas corbes vidissent, deditonem eodem die polliciti sunt, territi potissimum aduentu Vngarorum peditum, qui vna nocte admirando labore, pro ipsa porta intra lapidis iactum fossa perducta continenti sclopetorum ictu, neminem in aduersa turri versari paciebantur. Deditis concessa à Rege vita, dataq; facultas, exceptis Præfectis, ijs qui vellent in Mosconiam redeundi. Rex postridie, quæ fuit 17. August. ad
vere-

veterem *Vsuiatam* positis castris, nauim cum paucis ingressus
ad inspiciendam ex aduerso arcem nauigauit, ubi quatrimum
commoratus. *Velikilucum* versus contendit. Inde per longis-
simas & densissimas syluas aliquot diebus patefaciendo itinere
consumptis 27. die Augusti non longè ab arce *Lucana* cis flu-
men castra posuimus; cum iam quinto die ante ciuitas ipsa
amplissima à praesidiario milite incendio deleta esset. Eo etiam
Cancellarius regni, *Velisa* diuerso itinere veniens, sua castra
cum nostris coniunxit. Ea arx satis ampla in planitie paten-
ti est sita, agrorum fertilitate quoquoersus peramœna. A
meridie fluius *Louatus* imam eius partem alluit, fossa ac la-
cu interiecto, idemq; diuisus in duos alueos, effecta insula pau-
lo infra inter ciuitatem & arcem, dimidia propemodum eius
parre perstricta rursus coit, inde in Septemtrionem labens, re-
lictà arce, ciuitatem in duas partes secat, ceteræ stagnis am-
biuntur. Pariet lignis trabibus opere magno compaginatis
constat, quem contiguum vallum suprema parte cespitibus
obducta protegit, ut globis nullaratione labefieri potuerit. Po-
stridie & legati *Moscouitici* in Regia castra perducti, nullis
adhuc oppugnandæ arcis munitionibus erectis. Etenim ma-
gnam omnes in expectationem ipsorum aduentu venerant,
cum quilibet existimaret ipsos, quemadmodum praeseferebant
cum amplissimis & ad pacificationem accommodatis manda-
tis venisse. Auditi igitur 29. die Augusti nihil præter absur-
da petebant: nisi enim se Rex vniuerso cum exercitu suo intra
fines reciperet, iniunctum illis esse affirmabunt, ne quicquam
agerent. Ità ea die non dicta legatione ad sua tentoria sunt
reducti. Facile omnes intelligebant, quorsum ipsorum consi-
lia tenderent. Rex ipsorum barbaro instituto nihil moratus,
arcis oppugnandæ consilium inijt, iubet ut duobus in locis ultra
flumen munitiones excitentur. Cuius quidem rei procurandæ
primas partes defert *Ioanni Zamoiscio*, regni *Polonia* Cancel-
lario, qui partem castrorum *Regiorum* in vltiorem fluminis
ripam

ripam transduxit, illic Vngarus alterum locum ad occumbentem, Polonicus vero peditatus ad orientem Solem alterum muniendum sibi desumpsit, quibus locis propugnacula arcis primaria erant. Biduo utrinque fixis sub vallo signis, munitio- nes fossis ductis aguntur, intra corbes terra repletas tormenta collocantur.

His ita constitutis Kalen. Septemb. arx tormentis quati- capta, sed in recenti tenaciq; aggere, tormentorum vis parum valuit, quantumuis quatruido continuis ictibus verberaretur: & incendium ab Vngaris sepius conflatum esset. Hac diffi- cultate ad Regem delata, confestim eam consilio expedit, man- datq; ut ad proximum propugnaculum cuniculi agantur, ad parietem vsque, quod unius noctis opere perfectum est. Ea ratione intra cuniculum abditus puluis incensus, vi sua adi- tum ad parietem accendendum nobis patefecit. Itaque allato à nostris manibus parieti incendio, propugnaculum illud ad dimidiam vsq; noctem arsit, & nostris ad impetum faciendum non mediocrem aditum patefecit. Nec in castris Polonicis ab inferendo incendio cessatum, & quidem irritato conatu acerrime repugnantibus Moscis, ex quibus permulti per summitates mœniorum in exteriorem partem arcis se deiecerunt restin- guendi incendiij causa, etiamsi ex aduersis munitioibus icti- bus tormentorum depellerentur. Quid sit? ignis ille à Polonis quarta Sept. die sub vesperum parieti admotus, dum utrinq; existimaretur eum extinctum, ecce media fere nocte oborto vento vires resumit, paucis horis ita creuit, ut tota arx incen- dio eo, frustra Moscis id extinguere conantibus, ac deditioem offerentibus, quinta Sept. die deflagarit, vallo tantum inco- lumi remanente. Vngarus peditatus, qui alioqui ea die ir- ruere in arcem cogitabat, vlciscendi libidine nonnullorum suo- rum iactura ac spe rapinae incitatus in arcem irruit, mira se- uitia obuios obruncat, vndiquaque pinnas arcis depopulante igne, quicquid rapinae consequi potest, ex arce effert. Iam
ignis

ignis pœnè ad eum locum peruenerat, quò magna vis pulueris
asseruabatur, cuius quadringenta fuerant vasa. Quare peri-
culo imminente, pars se ex arce subducit, pars vero permixta
Polonis intenta rapina illic manet. Paulò post secutus est in-
gens fragor vi incensi pulueris excitatus. Equidem maior pars
obfessorum ferè à milite nostro cæsa, septem circiter millia homi-
num in arce fuisse perhibentur, reliqua in seruitutem redacta.

In his Palatini tres initio ante militarem cadem in castra
traducti fuere: Knias Fedor Iwanouicz Likodow, Knias Ge-
orgius Aksakowod, Knias Michaël Kassen. His omnibus
summa cum potestate præfuerat Iwan Voieiko, non ita pri-
dem à Mosco in eam atcem præsidij causa missus, notæ crude-
litate homo. is deductus ex arce ad munitiones Vngaricas ab
obuijs militibus truncatus fuit. Ex nostris non ita multi de-
siderati sunt. In his primarius Petrus Kloczowski, Castel-
lanus Zauicostensis, Capitaneus Malegostiensis.

Hic fuit euentus arcis istius spectantibus eum Mosco-
uiticis Legatis. Hi secunda die Septem. neglectis prioribus
inanitatibus ad Regem admissi verba fecerunt, alternatim
omnium controuersiarum ab ouo vsque ad mala memoriam re-
petentes, legationis mandata explicarunt, quæ cum ab omni
æquitate aliena essent, & se alia non habere confirmarent, vt
tabellarium ad Principem ipsorum mittere ipsis liceret, à Re-
ge impetrarunt, eum de rebus omnibus certiozem facerent.
scripsit & Rex ad ipsum Moscum per peculiarem tabellarium.

Interea istius arcis muniendæ & propinquare aliquot
expugnandarum consilia suscipit. Muniendæ autem arcis
eiusmodi ratio est inita. Ambitus vniuersæ in quatuor par-
tes, adhibito architecto Italo Dominico Rudolphino Cameri-
no, diuisus, quarum duas ipse sibi Rex instaurandas cum Vn-
garis desumpsit, tertiam Polonis, quartam Lituanis attribuit.
Sic enim fore existimabat, vt mutua nationum in opere æmu-
latione breuissimo tempore arx ad perfectionem perueniret.

B

Hac

Hac ratione omnibus operi coepto intentis, allatum est, aliquot millia hostium ad arcem Toropeciam, quæ Velikiluco octodecim milliaribus abest, diuiso in duas partes exercitu, maiorem ultra duo milliaria, minorem primorum ordinum cis arcem consedisse, hic quatuor millium equitum, alter vero sex millium subsidiarius fuisse, ex captiuis cognitum est. Citerior ille pabulatores nostros ad sex à castris milliaria subinde intercipiebat, ac iam ad quinquaginta interceperat, quando res ad Regem delata esset. Quamobrem Rex 15. die Septemb. Georgium Borbelium vnum ex præfectis equitum Vngarorum virum strennum, & multorum annorum militiæ vsu clarum, cum sexcentis equitibus Polonis & Vngaris, quibus etiam aliquot pedites sclopetarij adiuncti erant, Toropecium versus mittit, ac triduo post ubi rumore quodam perlatum esset hostium copias adauctas esse, mille quingentos equites Polonos, Vngaros & Germanos deligit, Ianussio duce de Zbaras, Palatino Braslaviense eis præposito, simul etiam ipsis mandat, vt cum prioribus coniuncti hostem persequantur, ac cum eo oblata oportunitate confligant. Palatinus cum his mandatis 17. Sept. vesperi ex castris cum exercitu proficiscitur: tota nocte iter faciens postero die se cum Georgio Borbelio coniungit. Eo loco refectis equis, dispositoque in suos ordines exercitu, Albertus Kiralyus, Vngarici equitatus Vicecapitaneus, viginti quatuor equitibus Polonis, quibus se adiunxit Samuel Zbrouius de secunda vigilia præmittitur, alia quoque subsidiaria ala deligitur, quæ cum vnius milliaris intervallo sequeretur. Ei præficiuntur Georgius Borbelius, Georgius Sibrik, & Hieronymus Philipponius. constabat illa ducentis circiter equitibus. Agmen vero ipsum cum Palatino incedebat. Non admodum longe Albertus progressus erat, cum in aliquot equites Moscouiticos præcursores exploratum missos incideret. Hi ad ipsius aduentum illico se fugæ mandarunt, eos cum suis insecutus & ad vnum milliare, passim via angusta & lutulenta proue-

Elus, &

Etus, & duobus Moscicis de equis deiectis ad pontem usque, quo fossa palustris strata erat, peruenit. Sclopetarij Moscici abditi nostris numero longè superiores ab utroq; pontis latere elato clamore exiliunt, sclopetata in nostros explodunt, diu nostros iaculationibus, quominus pontem transeant, remorantur. Forte & quatuor sclopetarij Vngari equis vecli, qui antea aberrauerant, ad clamorem nostrorum sese offerunt, relictis equis ad pontem, pugnantibus subsidio occurrunt, ac sclopetis rem gnauiter gerunt. Tartarorum copia, quingenti equites, Moscicis sclopetariis non procul à ponte in subsidio erant. Durauit illud certamen ad dimidiam usque horam, cum Albertus diu frustra eos, qui sequebantur, expectasset, (miserat enim per expeditos equos ex suis, qui eis renunciarent, magno numero adesse hostes, properarent, quantum possent, sclopetarios Moscos tam exigua manu submoueri non posse) ad speciem magni alicuius exercitus aduentantis clamore sublato in pontem irruit, sclopetarij hostiles nostrorum clamore percussi ponte cedunt, & cum Tartaris subsidiariis coniuncti, pulsus timpani ad proximum exercitum se recipiunt. Albertus fugatis hostibus intempesta nocte eos persequi ulterius destitit, multitudinem hostium, atq; insidias veritus. Nam Georgius Borbelius cum suis longius aberat, nec sciebat, quo in periculo Albertus versaretur. In eo certamine pauci ex nostris vulnerati, equi aliquot interfecti.

Postera die quæ erat 27. clara iam luce, & ipse Georgius Borbelius cum sua ala ad Albertum peruenit, consecutus est eum paulò post reliquus exercitus. Quo loco nouo capto consilio iterum Albertus maioribus quam pridie copiis ablegatur. ad priores additi leuis armaturæ equites 25. quos Cosacos vocamus, totidem pedites sclopetarij, ut in itinere hostium excubias circumueniat & claudat, ne ad hostes indicium ullum de nostrorum aduentu perferretur. Excubiæ hostium profectio- nem Alberti odoratæ ad suos maturius opinione nostrorum

refugiunt. Tres tantum Mosci in itinere à nostris capiuntur. Appetente vespera diu in itinere angusto & lutulento nostri conflictati in planiciem arci & ciuitati Toropeciensis proximam peruaserunt, relicto post se longius toto agmine, quod ob difficultatem itineris eos consequi non poterat. Eo loco ad Albertum quinquaginta Germani equites, toridem pœnè pedites sclopetarij aduenerunt. Obrulit se & Georgius Sibiricius, relicta ala, in qua antea collocatus erat. Quare cum iam prope hostium castra se esse animaduertent, iter suum accelerant. Hostes ipsi flumen Toropecium transmiserant, relictis cis flumen mille equitibus, qui nostros leuioribus præliis distinerent.

Progressis igitur nostris, arx & ciuitas conspectui se dat, apparet hostium quoq; ad pugnam instructum agmen, offerunt se & illi mille equites nulla certaminis potestate facta, sed sensim cedentes, nostros ad flumen vsq; in cuius aduersa ripa longo ordine pedites sclopetarij Mosci constituti erant, peraxerunt. transmissa nostris fluuio sclopetarij hostium bombardas in nostros displodunt, hinc in ciuitatem dilapsi eam inflammant, inde in arcem se recipiunt. quod cum nostri viderent, monitu Alberti, Germani equites cum sclopetarijs nostris à latere dextro in equites Moscos irrumpunt: ex alia vero parte Albertus cum cæteris hastatis in hostem se infert. Mosci primum quidem resistere cœperunt, sed ubi & alia vexilla nostra à longè succedere conspicerentur, in fugam se omnes sparsim conijciunt, nec cessatum est ex arce, tormentis nostros peti. Quamuis autem occumbente Sole Mosci fugere cepissent tamen nostri ad tria milliaria ultra Toropecium ad multam vsq; noctem persecuti sunt, in ea fuga ad quingenti vel paulo plures sunt cæsi, ducenti ferè cum vexillo, ac nisi nox fugientes protexisset, pauci ex quatuor millibus euasissent. Exercitus ille è primaria nobilitate Moscouitica constabat, quod & eorum vestes auro & serico intertextæ, preciosisq; pellibus obductæ ostendebant.

Re à

Re à nostris ad Toropeciam prosperè gesta, omnes incolu-
mes in castra redierunt, paucis admodum desideratis & vul-
neratis. Ex captiuis duos præcipuos Regi tradunt, quorum
alter Gregorius Offanaßouicius Nasczokinus paulo ante di-
scessum Vilna Regis, à Magno Duce ad Regem internuncius,
alter Dementinus Ceremestinus est Moscorum Principi ca-
rissimus, & ad exercitum paucis ante diebus, vt eum in fide
& officio contineret, ab ipso missus.

VII. Septemb. die Philo. Cmita Palatinus Smolencensis
cum mille septingentis leuis armaturæ equitibus, in hostilem
terram Smolenscum vsq; progressus, etsi principio rem felici-
ter gessit, tamen cum maior vis hostium, qui ad decem millia
fuisse dicuntur, immineret, & cadendo nouies ab ipsis petitus
diutius eos sustinere non posset, omnibus captiuis, quos habuit,
interfectis, amissisq; sex exiguis tormentis, vnoq; paulo maio-
re non sine detrimento hostium Orsam se retulit, ex spoliis ho-
stium elegantissimi operis ferreum thoracem Palatini Mosci
Ignarij Bludodo interfecti cum malleo ferreo, quo pro claua
vtebatur, & vexillum ad Regem misit.

Clade hostium ad Toropecium subsecuta, anni tempus,
quod hyemi proximum erat, tria Regem facere coëgit, vt &
instaret operi arcis Lucanæ, quod in certas partes cuiq; natio-
ni distributum, ante discessum suum absoluendum erat, &
Cancellarium regni cum iusto exercitu obsidenda Zauolocia
mitteret, quæ quidem arx ob vicinitatem Lucensibus maximo
erat incommodo futura, si hostium in potestate relinqueretur,
& arcis Neuelensis oppugnationi maiorem militum numerum,
pulueres, aliumq; com meatum subsidio mitteret. Adeo enim
illius situs ingenio loci munitus erat, nec nisi ab vna parte
versus meridiem, reliqua ingenti lacu circumfusa, ex quo flu-
uius Nemen in Orientem effluit, ad eam aditus pater. Eo la-
co Palatini Polonensis munitiones excitata fuerant, ex quibus
tam exiguo nostrorum numero arx agrè capi potuit, hostibus

A 3

se con-

se continentibus iaculationibus & etiam eruptionibus fortiter tuentibus.

Redacta in potestatem arce Lucana 10. Sept. die, ex castris Lucensibus Ioannem Bornemixzam ala equitum Vngarorum Capitaneum, cum septingentis peditibus Vngaris, quibus præerat Ioannes Gallus, ac tribus maioribus tormentis Palatino Polocensi subsidio miserat, quo cum triduo peruenisset, duodecim enim tantum milliaria distat Neuela à Luca versus Polocium, propius arcis fossas munitiones maximo promouit opere. Adhæc Palatinus veteres duabus aliis fossis tanquam brachiis vtrinque auxit, vt ad fossam arcis eo facilius peruenire posset: eorum altera in occidentem non longe à margine fossæ in mediocrem longitudinem, altera ad orientem Solem ad fluuium vsq; ex lacu erumpentem ducta fuit. Etsi Bornemixzæ diligentia ad oppugnationem omnia instituebantur, tamen hostes eo magis insollescunt, ac interdum in munitiones nostrorum erumpebant, vncos ferreos inusitata magnitudinis funibus alligatos in nostros iacentes, si quos comprehendere eminus possent, ita nostrorum paucitatem despiciunt. Interim dum Ioannes Bornemixza à Rege noua auxilia expectaret, incredibili opere in ipsam fossam cuniculis penetrare studet, progressu operis in validas contignationes, transuersis lignis consibulatas, quibus decem pedum latitudine ab ima parte ad summum vsque labrum fossæ hostes superiecta terra munierant, incidit, improbo tamen labore, securibus, lignonibus, aliisque instrumentis fossilibus, ad ipsam fossam tanto silentio, tantaque dexteritate peruenit, vt id hostes non prius animaduertent, quam nostri milites per fossam ad incendendum parietem missi, ipsis mœnibus ignem subicerent. Quod hostes conspicati, adeo sunt percussi, vt confestim de seruanda arce desperarent, ac deditionem vel ipsis Præfectis, quos Palatinos vocant, inuitis, inflammataque arcem extinguere, pollicerentur. Deditio
ditio

ditio hæc vnica fuit, vt vitam ipsorum gratia Regia permit-
terent, omnem suppellectilem maxime verò militarem in
arce relinquerent. hoc modo arx extincto incendio integra
in potestatem Regis *XXIX. Septemb.* concessit. Rex
de deditioe eius edoctus mandata dedit, vt eos, qui ex hosti-
bus manere nollent incolumes dimitterentur, Præfectos nu-
mero tres vinctos ad se Lucam transducerent. Ampla est
arx diuisa in duas partes, interiecto intus pariete, capacita-
te Lucanæ non inferior. ea, quæ Septentrionem spectat mi-
nor, altera ex aduerso maior, in ea milites præfidiarij mille,
promiscuæ multitudinis agrestis, cum vxoribus & liberis tria
millia censebantur, tormenta maiora decem, minora quæ
ansatæ, ab aliis barbata vocantur, centum reperta, præter
manualia sclopeta, quæ quingentorum numerum excessere-
runt. Ex nostris centum, ex hostibus verò amplius ducenti
in oppugnatione perierunt.

Dedita Neuela, regni Cancellarius cum suo exercitu, ac
tormentis sex *ZAVOLOCIAM* à Rege Luca dimissus.
Additi sunt ei ex Vngaris equites ducenti, pedites sexcenti,
quibus omnibus Gabriel Bekes præerat.

Arcem Lucensem opere absoluto, ac ad iustam munitio-
nem perducto, tormentisque ac aliis rebus ad defensionem ne-
cessariis prouisa, Philoni Cmitæ Palatino Smolenscensi, com-
mittit, equites mille quingentos, pedites totidem, præsidio ibi
reliquit.

His omnibus ita comparatis, tertia die Octobris Rex Lu-
ca profectus trinis castris Neuelam tetigit, castra sua ab Ori-
ente aduersus arcis portam fixit, secuti sunt Moscorum Du-
cis legati, qui indices ab ipsorum Principe noua mandata ex-
pectabant. Neuela perlustrata aliquot deinceps dies in castris
substitit, sollicitus de Zauolocia euentu, eoq; magis, quod vere-
retur, ne ex subita cœli illa mutatione, imbribus, ventis, &
postea niuibus cum gelu exortis, omnem militibus ardorem, ad
operasq;

operasq; præstandas facultatem adimeret, ceptum insuper vi-
ctoriæ cursum interrumpere.

Interim tabellarij & Regis & Moscorum legatorum, sub
ipsum Lucanæ arcis incendium in Moscouiam missi Neuelam
XI. Octobris reuertuntur. qui à Rege fuerat missus longissi-
mas instar voluminis literas à Moscorum Duce attulit, in qui-
bus superiorum literarum pro more suo longis ambagibus ar-
gumenta præfatus, ius suum friuolum ac ioculare, quo Liuo-
nia sibi tanquam hereditaria debeatur, iactat. Fuisse quen-
dam ait in maioribus suis Suentoslaum Miseslauouicium, Is
antequam sacro baptisate Christianæ religioni fuisset initia-
tus, Iurg vocabatur, ab eo Iurgohorodum, quam arcem & ci-
uitatem aliàs Derbatum Germani nominant, conditam, ac
inde cunctam Liuoniam ad se tanquam verum heredem per
successionem deuolutam. reliqua parte literarum fraternam
necessitudinem Regi desert, simul etiam ostendit se studio pa-
cis impendio magis teneri, ne amplius sanguis Christianus
spargeretur. eius conciliandæ stabiliendæue gratia, non mo-
do Liuoniæ titulum communem esse velle, sed & quatuor
arcibus cessurum. in quibus Kokenhauzum præcipua est, è
conuerso à Rege, Lucam, Velisam, & Neuelam vetustæ sue
ditionis nupere ablatas, postulabat, plura mandata se ad le-
gatos suos perscripsisse.

Postera die legati ad Regem deducti petierunt potestatem
sibi dari cum Senatoribus agendi. ter congressi tribus proxi-
mis diebus, in illis actionibus adiecerunt, ad illas quatuor su-
periores, alias sex, in quibus Roneburgum nobilior: aliæ vilio-
res, nobilium priuatorum domibus potius, quam arcibus simi-
les, ac legatis alia mandata non proferentibus re infecta
discessum. Regem vt in Lituaniam, inde in Poloniam rede-
untem sequerentur, illis imperatum.

Antequam autem Rex Neuela castra moueret, proxima
hostium arx Oseriscia tribus à Neuela milliaribus lacu cincta
nouo pa-

nouo pariete, nouisq; propugnaculis ligneis ita affabrè exadifi-
cata, vt singule turre varietate structura mirificam elegan-
tiam de se præberent, Palatino Vilenſi, 12. die Octobris à Re-
ge eò miſſo, ſponte ſe dedit, cum præfectus illius cum præſi-
diariis in Moſcouiam redeundi facultatem impetraſſet. reti-
nere enim eam hoſtes alioqui non potuiſſent, quod iam ante
arcibus Regiis circumcluſa eſſet.

Sub id tempus Zauolocia frequentes tabellarij à Cancel-
lario cum literis veniunt, quibus Regem certiorem facit, ar-
cem illam longè eſſe munitiorem, quàm antea perlatum eſſet:
Et quamuis iniquitate temporis maxima exercitus prematur,
ipſaq; arx in inſula vaſti lacus poſita ſit, ad quam nullus ac-
ceſſus eſſet, ſe tamen boni ducis officio non defuturum, non re-
frixiſſe priſtinum militum vigorem, qui alacritate certatim
inter ſe contenderent, non exhorrere temporum aſperitatem,
imo potius ad rem gerendam excitari, ſe ab incepto non deſti-
turum, niſi diuino auxilio adiutus re bene & proſperè geſta:
Ratiuus iunctis eum locum, qui anguſtior patebat, ſub mu-
nitionibus ſternere voluiſſe, ſed fabrorum lignariorum incuria
pontem breuiorem, quàm par eſt, conſectam, eoq; factum, vt
re tentata iſtius diei conatus irrieus efficeretur, cumq; pontem
retractum citeriori ripæ noſtri reuinxiffent, oborto vento ad-
uerſo in aqua ſciſſum & verſus hoſtium munitiones in occa-
ſum delatum, peditum Polonorum duobus in ipſo remanenti-
bus, quos cum ex hoſtibus aliquot ſcaphis erumpentes deſcendere
ac pontem intercipere conati eſſent, eos à noſtris contis ex ſca-
phis deturbatos in aquamq; demerſos fuiſſe, ſic noſtros qui pe-
tebantur, iſdem ſcaphis arreptis euafiſſe. Porro cum pons vi-
uenti longius præter arcem in aduerſam ripam ferretur, neq;
hoſtis excuſſionibus finem perſequendi pontis faceret, Cancel-
larius arrepto equitatu, circumactò curriculo lacu in ulterio-
rem ripæ partem, quo agebatur pons peruenit, hoſtibusq; ſclope-
torum vi à ponte remotis, eum recepit. Ea die Comes Chriſto-
phorus

phorus Rosdrasouius, duarum turmarum equitum praefectus in munitiones exteriores progressus, accepto ex ferri segmento ex arce misso supra dextrum oculum vulnere periit. ponte industria praefectorum & opificum refecto, postridie oppugnatio maiore vi tentata, irrito tamen conatu, quod pedites cum pontem transissent, loco in aduersa ripa, ubi consisterent, incendiumq; miscerent capto, licentius hoste contempto sub pariete iniquioribus locis vagarentur, & hostilibus telis et excursionibus reiecti sunt, desideratis 100. vel amplius peditibus Vngaris.

Arx Zauolocia amplo in lacu ita est sita, ut insulam munitionibus omnem occupet, breui & arduo ripae relicto spacio; amplitudine Velisensi respondet, propugnaculorum tamen numero superat, lacum medium flumen perlabitur, quod aliis atque aliis lacubus septemtrionem versus excipitur. Castra ad meridiem trans ipsum flumen Cancellarius habebat; oppugnanda autem arci munitiones ad Solem orientem erant excitatae, qua in occidentem vergit, & quo loco lacus est breuior, in citeriore ripa oppidum fuerat arci potestate coniunctum, quod biduo ante nostrorum accessum hostis incendio deleuerat. His difficultatibus Rex in ancipites deliberationes coniciebatur, absistendumne oppugnationi, an in ea diutius perseverandum esset; verum vicit Cancellarij constantia & pollicitatio, effecitque ut maiores copias Polonicas & Vngaricas Neuela mitteret. quibus Cancellarius acceptis, ac altero etiam ponte effecto, pluribusq; scaphis contractis, adducta etiam nobilitate, ut armati pedes ad arcem inuaderent, ad diem 23. Octobris, praesidium in eum metum coniecit, ut cum iam miles noster sub signis consisteret, lacumq; ad arcem transiturus esset, hostes repugnantibus ipsorum Palatinis deditioem facerent, pacti incolumitatem & in Moscouiam reditum. Palatinos quatuor Cancellarius in custodia retinuit, reliqui in Moscouiam dimissi. praesidium erat quadringentorum, reliqua promiscua multitudo ad mille hominum. Hoc nuncium de capta Zauolocia Dzisnam ad Regem allatum est.

Vnde Rex ad diem tertium Nouemb. Vilnam peruenit,
quo & Cancellarius paucos post dies subsecutus est. Vilna &
supplicationes ob rem feliciter gestam factæ, & legati Turci-
ci & Tartarici auditi, & Comitiorum dies ad 22. Ianuarij
diem Versauiam promulgatus, quo publicarum delibera-
tionum caussa Moscici legati quoq; deducti sunt. Hæc
superiore proxima æstate captis sex arcibus
à Rege gesta sunt.

Ex Literis Constantinopoli, 14. Ianuarij,
Anno 1581. datis.

BELLVM PERSICVM
maiore vi, quam vnq; antea geritur. licet 4. Au-
gusti nuncius quidam Persicus 8. hominibus co-
mitatus hic comparuerit, & spem pacis erigen-
de annuerit, cum promissione subsecuturi breui magni legati,
& de pacis conditionibus certi aliquid conclusuri. Vnde etiam
eidem honores in ingressu Regij exhibiti, & Imperator ad se
ipsi postea demonstrandum, sedecim millibus hominum comita-
tus, ex vna aula sua in aliam transmigravit. Quam pompam
precedenti die præcessit inopinata mors Mustaphæ Bassæ, re-
uersi paulo ante ex bello Persico, cuius generalis Dux constitu-
tus erat, & ob infeliciores successus Constantinopolim reuoca-
tus. Pleriq; sunt in ea opinione, & puto verum esse, eum ve-
nenum hausisse. Cum enim in nauicula paruula in porta
maris quedam lustrasset, & disponderet pertinentia ad Impe-
ratoris pompam, subito veluti exanimis ore spumante conci-
dit, et sequenti die, eadem hora, qua Imperator in pompa pro-
dijt, ipse à suis sua cum lugubri pompa ad sepulturam d'sereba-
tur. Hic est exitus Mustaphæ Bassæ, qui Cyprum Venetis
eripuit, & ipsorum præfecto Bragadino, ob constantiam in de-
fendenda vrbe Famaugusta, pellem crudelissimè contra om-
nia militaria iura detrahi iussit.

Huius locum in Persico bello nunc Sinan Bassa, Goletana expugnatione clarus, sustinet. verum successu ferè minus felici, ut qui aliq; exercitus sui partem inter eundem, excursiones faciendo in Geogianos, amisit, & deinceps ad Persica confinia progressus, militem suum ob annonæ inopiam in officio retinere non potuit. Hoc verò autumno propè urbem Tiflis ad mare Caspium, non exiguam cladem suorum passus est, & quæ Mustapha hosti eripuit, ipse vix tuetur. licet Turcæ spargant se nunc auxiliis Tartaricis Persas aliquomodo ultos esse. Quod si verum est, suis innotescet temporibus, quæ forsitan alia, quod optandum, sunt allatura, modò ne nostri Europæi cum securiores erga hunc potentissimum hostem, tum inquietiores in propriis domesticis reddantur.

HISPANVS iam à triennio, et imprimis nunc victor Portugalensium existens, de pace aliquot annorum cum Turcis erigenda hic per suum Oratorem agit. de quo fortassis attentius nunc quàm vnq; antea, vicinis cogitandum erit.

DE TARTARICIS REGIBVS
uti voluisti, diligenter inquisiui. sed nomina & seriem Tartaricorum Imperatorum certam, nandum peruestigare potui. Illud certum est, et Turci ipsi testantur, Tamberlanem (quem ipsi Temirhan .i. ferreum regem nominant) non ex Procopiensibus Tartaris, Tauricam Chersonesum incolentibus: Sed ex vltima Asiæ Tartaria fuisse, cuius posterì adhuc hodiè latissimas Asiæ terras tenere dicuntur, atque tempore Solymanni Turcæ Imperatoris, vnus ex eius aulicis, nomine Siadealy Zeliby maximam istius imperij partem peragrassè dicitur, cuius amplitudinem & fines longè maiores Turcicis, ipse Solymanno recensuisse dicitur. Ex sene quodam Turco, cui nos nostraq; domus concredita est, accepi, qui ex ipso supra nominato Siadealy Zeliby hæc se audiuisse, & mihi & Illustrissimo D. Oratori constanter affirmabat: Hunc Tartarum à Turcis Humaiun vocari, vnde fortassis nostri Geographi corruptè

ruptè magnum Hamum dixere. Audio etiam Christiano-
rum varia genera inter ipsos, quemadmodum in toto Oriente,
conspici. Plura de Tartaricis Imperatoribus peruestigare ut
dixi, non potui: nisi si quid interea cognoscere dabitur, anteq̃;
hinc discesserimus. Spero enim volente Deo, nos sequenti hu-
ius anni vere discessuros, etsi de me hic diutius retinendo non-
nulli iampridem cogitarint & adhuc cogitent.

DE AFRICANIS & Precioso illo Iohanne
imprimis, quem Turca HEBESCH nominant, occasione-
bus oblatis inquisivi. & his diebus Patriarcham Antioche-
um, nomine Michaëlem, senem penè octogenarium, qui à
Damasci præsides, ob denegatam sibi quandam pecuniæ sum-
mam loco extrusus suo, huc ad Imperatorem de his conquestu-
rus, profugit. Hic quærenti mihi de illis Æthiopibus, aiebat se
eorum complures in Asia vidisse, et esse plurimas inter eos sectas.
duplicem tamen præ cæteris magis notabilem, quarum altera
sue cohorti in fronte solum tria signa inurit, cum inscriptione
Spiritu et igne, retenta etiam circumcissione: altera vno signo
in fronte, & duobus in utraq̃; faciei maxilla, cum inscriptione
Patris Filij & Spiritus Sancti suos notat, & circumcissionem
non usurpat. ob quod etiam maiora cum reliquis Asiaticis
Christianis commercia ipsis esse. De magnitudine & finibus
Imperij ac Politia ipsorum nihil referre potuit, imò Turca-
rum Imperio (quos tamen præter Aegyptum, & illud usque
ad fretum Herculeum lictus maritimum nihil aliud in latissi-
mis Africa terris possidere certissimè constat) subesse existima-
bat, & quæ ego illi ex tua oratione recensebam, non sine ad-
miratione audiebat. Sed hæc est Orientalis Ecclesiæ hodierna
conditio, ut non modò in externis indagandis, sed etiam in
propriis domesticis cognoscendis, quàm negligentissimi repe-
riantur. Nostrorum enim Occidentalium & multo minus
septentrionalium, excepta Italia, quam & vicinitas & sedes
Romani Pontificis & Venetorum navigationes notiores red-

dunt, planè ignari sunt, & oblati inquirendi occasionibus, nisi quis sua sponte aliquid eis dicat, ipsimet non inquirunt, adeo ut merito antea dixerim, te nostris in terris singulari aliquo fato, ob Ecclesiæ bonum, in tam præclaros incidisse relatores, quanquam non mirum te scz. examinatore existente.

ARMENIORVM ECCLESIAS, quorum Patriarcha hic residet, etiam diligentius nunc inspexi, quibus & ordines Ecclesiastici, & ritus à Græcis non multum dissimiles, nisi quod hi lingua vernacula, quam tamen non omnes, & præsertim hic Constantinopoli nati, intelligunt. Romanæ Ecclesiæ se per omnia addictos Patriarcha horum mihi dicebat, forsitan in gratiam nostram locutus, existimans nos esse Romanos: cum tamen & sacramenta cum Græcis communia habeant, ad quorum commuionem, nisi in morbis constituti, rarissimi sunt qui accedant, contenti pane illo non consecrato, quem sicuti Græci & Moscovitæ ac reliqui populi Græcis Ecclesiis addicti, post peractam Missam omnes promiscuè sumunt, & hoc pacto à sacramento Cœnæ domini ut plurimum arcentur, ideo quod non nisi Sanctis huius usum concessum dicunt, & ideo etiam infantulos statim post baptismum ad communionem, quemadmodum & in plerisque Bohemiæ locis, deferunt.

Dissensionis causam à Græcis non aliam prætendunt, quam festorum quorundam solennium diuersis temporibus celebrationem. Græci verò ipsis Eutychismum obijciunt, id quod ipse cognoui, dum passim omnes promiscuè veluti Catecheticum quiddam in ore habent, Christum cum in terris esset, nec comedisse nec verè bibisse, multò minus, quod non sine peccato dici queat, digessisse. Huic errori, Arrianorum blasphemiam occasionem fortassis ipsis præbuerunt, ut peccantibus illis in defectu, hi in excessu lapsi sint. & his peritiores & pios quosdam maiores horum mederi voluisse, argumento sunt verba illa Symbolo Niceno ab illis addita, uti in fine libelli tui meministi.

Concio-

Conciones ipsis penitus nullæ, sed in harum locum Chronica quedam maiorum suorum, idq; non nisi diebus solennibus legunt, & deinde præcipuos de mortuos benefactores suos, tam Ethnicos, quàm Christianos nominatim recensent, orando pro his Deum, ad quem populus subinde alta voce responsitat, *Aswason mihok*, id est, Deus misereatur. Cæremoniarum omnium, quæ multæ & infinitæ, quarum maximam partem à Græcis, nonnullam à Turcis (qui etiam, templa ingressuri calceos exuunt, & terram per interualla exosculantur) acceperunt: maximè tolerabilia & pulcherrima hæc visa, quod post lectam Missam, inuicem sibi oscula præbent. Quæ maiores ipsorum proculdubio ex Paulinis salutationibus, & illa peramabili Pauli Miletana Ephesianis facta valedictione erexerunt, adeò ut hæc cæremonia facillè synceram antiquitatem redoleat. cum è contra reliqua pleraque supersticiosam & propriæ opinionis extra & contra verbum Dei nouitatem continent, indies in peius, uti fit in humanis, degenerantem. Vnde nostræ occidentales Ecclesiæ merito domino Deo ardentius gratias agere debent &c.

Sic hodie in Aegypto, reliquæ **CAVERNARVM IOSEPHI**, quæ ab ipso tempore famis hinc inde ad custodiendum Regium frumentum erectæ erant, conspici dicuntur, & ab ipsis Turcis, *Isuph. begamber hambarus*, id est, Iosephi prophætæ frumentariæ cistæ appellantur, quod ex multis tam Turcis quam Christianis cognoui, & in quarum quibusdam adhuc hodie Imperatoris frumentum asseruatur.

Mense Augusto & Septemb. cum vitæ periculo decubui, morbus ex præcipiti quodam Catarro in pectus decidente exortus fuit, quod sanè genus morbi, pleraq; orbis loca tunc peruagatum esse, literæ hinc inde ad Legatos, qui hinc resident, scriptæ testabantur, &c.

Venceslaus Budowitz
à Budowa.

De Mosci ad Pontificem Ro-
manum Legatione.

*Puto te cognovisse de Legato, quem Moscus
Romam ad Pontificem miserat: ut ille sit ist-
hic exceptus, habitus, etiam remissus. Petiit
à Pontifice, ut esset autor pacis cum Polono:
Et hunc & alios hortaretur ad fœdus secum
pangendum contra Turcas. Petiit quoq; se
declarari à Pontifice & nominari Imperato-
rem earum terrarum, quas possidet. Pri-
mum illud Papaliter est promissum Legato.
etiam alterum. Verùm id tamen tunc de-
mum, si se totum subijciat sanctæ sedi
Apostolicæ. Hæc sic facta sunt,
ut redeat in nihilum, quod
fuit ante nihil.*



65689


Ans: 65 689


ULB Halle 3
000 689 173



56







HISTORIA
RERVM A POLO
NIÆ REGE IN MO
scouia superiori anno fortiter
& feliciter gestarum.



I T E M

Ex litteris Constantinopoli hoc anno 1581.
die 14. Ianuarij datis, descri-
ptæ Narrationes

DE BELLO PERSICO,
quod à Turcis in Media geritur,
& de Armeniis & aliis rebus,
cognitu non inutiles nec
iniuscundæ.



Anno M. D. LXXXI.

